



Odocus natione Germanus felici ingenio proditus, operam literis dedit, atq; in patria earum fundamenta egregie iecit. Postea ad uarias academias, pr&esertim Saxonicas, secesserunt, et in ijs tantu diligentia liberalibus studijs, Philosophiæ, Medicinæ, et Theologie incubuit, ut uiris doctissimis adnumeraretur. Cum hoc modo omnifaria eruditione ornatus esset, Franckofortum ad Viadrum peruenit, atq; in eo Gymnasio optimas quasque artes docuit. quin etiam Medicinæ Doctor creatus, eam scientiam exercuit, atq; loachimo 2. Electori Brandenburgico gratissimus extitit. Scripsit is uarias lucubrationes, Philosophicas, Medicas,

Poëticas, & Theologicas, quibus magnum sibi nomen comparauit, atq; ingenio sui documenta posteritati ostendit. utpote Erotematum Dialectices lib. 3. qui hodie non immerito in omnium studiosorum manibus circumferuntur, dum exempla ex omni genere scientiarum præceptis accommodat: Arithmetices lib. 3. Prosodiam: de pronunciatione Rhetorica: Orthographiæ institutiones: Commentariolum de uerborum copia. præterea Annotationes in Bucolica & Georgica Vergili: Chronogiam in Vergili: Aeneida: Isagogę in Aristotelis, Alberti Magni, & Pontani Meteora libris tribus: Omnim artium & disciplinarum formandarum opusculum: Commentarium Anatatomicum, in quo est omnium partium corporis humani diligens enumeratio: Dialogum de locustis. Tadem etiam observationes in Lactantium de opificio Dei: Commentaria in utrancq; Epistolam Pauli ad Thymotheum: Expositiones in Euangeliā dominicalia: Commentaria in Haggeum in Ionam Prophetam Ecphrasin compendiosissimam, atq; totius Christianæ Catecseos explicationem, cum alijs huiusmodi, quæ partim Basileæ anno 1540, partim Franckoforti ad Viadrum 1549 sunt edita. Itaq; cum tantus Vuilichius fuerit, eum meritò hoc loco præclaris Germaniæ incolis adiiciendum putauit. Con. Geß. in Biblioth.